

## AD BARTHOLOMEUM SCALAM

E\_1 v.1 Nuper in exiguis quae parva volumina chartis  
 2 contexit rudibus nostra Thalia notis,  
 3 Scala, poetarum saeculi doctissime nostri,  
 4 quo nullus pleno grandius ore sonat,  
 5 ne dedigneris placido percurrere vultu,  
 6 sint licet inculta scripta notata manu.  
 7 Castalio cum non admorim fonte labellum,  
 8 nec mihi Pieridum temperet ulla chelim,  
 9 ingenii stimulus siquando in carmina surgit,  
 10 scribimus audenter quolibet illa modo.  
 11 At, si forte tibi non displicuisse docebis,  
 12 crediderim nostram non nihil esse lyram,  
 13 tunc me crediderim Musis et Apolline tantum  
 14 auspicibus numeros composuisse novos,  
 15 tunc ego, tunc ausim nostrum conferre poetis  
 16 carmen, et altisona concinere arma tuba :  
 17 iudicium facimus tanti, facunde, severum,  
 18 Scala, tuum, quo nil acrius esse reor.

## AD LAURENTIUM MEDICEM

E\_2 v.1 Tempora nostra tibi multum debentia, Laurens,  
 2 non minus hoc debent nobile propter opus,  
 3 Maeonium duce te quod nuper et auspice vatem  
 4 convertit Latios Angelus in numeros,  
 5 cumque decore suo, cum majestate legendum  
 6 dat nobis, qualem Graecia docta legit,  
 7 ut dubites Latius malit quam Graecus Homerus  
 8 esse, magis patrius hunc nisi tangat amor.

## AD BARTHOLOMEUM SCALAM

E\_3 v.1 Quis neget auguriis cognomen, Scala, parentes  
 2 nobile captatis imposuisse tibi ?  
 3 Nam virtute tua non tantum scandis honores  
 4 quoslibet, at caeli sidera celsa petis,  
 5 et, pede sive velis quaecumque notare soluto,

6 orator vehemens dives es historicus,  
 7 seu vis in carmen validas effundere vires,  
 8 Virgilio similes concinis ore modos.

## AD EUNDEM

E\_4 v.1 Nonne pudet Scalam totiens vexare, podagra,  
 2 saepius, et diris excruciare modis,  
 3 est qui majestas Latii sermonis et unus  
 4 eloquii fulgor historiaeque decus,  
 5 qui facit aeternus moritura volumina numquam,  
 6 Maeonioque canit dulciter ore modos ?  
 7 Delicium quare nostri venerabile saeculi  
 8 laedere jam tandem, saeva podagra, cave :  
 9 ne vatum tutela potens iratus Apollo,  
 10 inventum cujus est medicina pium  
 11 edoceat nodos quatenam dissolvere possit  
 12 vis medica, et morbos exsuperare tuos.

## IN AFFECTANTEM TYRANNIDEM

E\_5 v.1 Italiam Pyrrhus totam dum subdere tentat,  
 2 dumque sibi imperium quomodocumque parat,  
 3 non pudet hanc flammam ferroque involvere totam  
 4 pacis amatorem quem decet esse pium.  
 5 Juppiter ex alto est hanc sed miseratus Olympo,  
 6 haud patrium passus sic periisse solum.  
 7 Sedatis quoniam bellis, mitissima pacis  
 8 foedera percussit, maxima dona deum ;  
 9 et, ne per Pyrrhum rursus fera bella redirent,  
 10 hunc misere subita morte perire jubet.  
 11 Longaeva quare tuti nunc pace fruamur :  
 12 auctorem belli sustulit ira Jovis.

## GEORGIO ANTONIO VESPUCCIO

E\_6 v.1 Non tua te solum virtus, doctrina, poesis,  
 2 illustrant, totam nobilitantque domum ;  
 3 sed probitas etiam, mores, constantia, vita,  
 4 religio, pietas, intemerata fides,  
 5 Vespucci, nec vana loquor, facunde Georgi,  
 6 perpetuo reddent nomina clara tibi.

## AD GASPAREM MASSANUM

E\_7 v.1 Te, Massane, suis merito Florentia natis  
 2 et moderatorem grammaticumque dedit,  
 3 omnis cum sceleris penitus sis purus et expers,

4 impar vel priscis sis neque grammaticis.

AD ANGELUM BASSUM

E\_8 v.1 Carmina jucundo tua qui non lumine, Basse,  
2 pellegit, et tua quem non sacra Musa juvat,  
3 Angele, divinum tibi qui non esse poetae  
4 asserit ingenium dulcisonamque chelim,  
5 hunc ego vel credam liventia pectora ferre,  
6 hunc ego vel nullis sensibus esse putem.

AD UGOLINUM VERINUM

E\_9 v.1 Ugoline, mihi tantum dilecte sodali,  
2 quantum nec Phitia Damon amatus erat :  
3 Pieridum propter studium commune rogamus,  
4 in me perque tuam, dulcis amice, fidem,  
5 quin, et si pateris, nostrum te propter amorem  
6 oro, meam carpi ne patiare lyram,  
7 verum liventi siquis me dente lacessat,  
8 ipse tuo forti protege me clypeo.

IN PSITACUM

E\_10 v.1 Desine more virum quod avis sim condita in urna  
2 mirari, quisquis carmina pauca leges :  
3 nam poteram Musas etiam superare canendo  
4 psittacus, ac suavi flectere voce feras.  
5 Bencia me quotiens omnis mirata canentem  
6 est domus, et variis obstupefacta modis !  
7 Vox distincta, sonans, concisa, intorta, gravisque,  
8 plena, celer, vibrans, garrula, dulcis erat.

AD LAURENTIUM LOQUITUR PARDUS

E\_11 v.1 Hoc patriis uno solabar maesta relictis  
2 finibus exilium me subiisse procul,  
3 Maxime Laurenti, quod eram tua dona futura,  
4 moribus, ingenio divitiisque potens.  
5 Sed, postquam vivens duci me munus acerba  
6 mors vetuit, nigras imposuitque manus,  
7 hoc rogo, ne vitae spernas me munere functam,  
8 ac domini felix sis memor ipse mei.

IN LUCILIUM SEMIFATUUM

E\_12 v.1 Myrtea, Syllani, componite sarta, poetae,

2           pinguia quae purgent tempora Lucilii.  
 3   Burchius Aoniis migravit collibus alter,  
 4           qui quoque nimirum carmen inane facit :  
 5   Lucilius prisco tanto praestantior illo,  
 6           quanto hunc extollit Musa Latina magis.  
 7   Nam facit hic etiam versus, quos nesciat ullus  
 8           solvere nec sensus elicere inde aliquos.  
 9   Inque illis mugiunt valles, perque ossa tremendus  
 10          it pavor, in salsis et mare fervet aquis ;  
 11   et modo fluminibus gaudet pluvialis Orion,  
 12          Juppiter et gravidam nunc pede calcat humum ;  
 13   sidera miscentur nimbis, et fulmina terrent  
 14          caelicolas, coeunt mitia saepe feris.  
 15   Talia Lucilii ventosi carmina vatis  
 16          sunt equidem, posui qualia pauca modo.  
 17   Quae, nisi inane, sonant nihil, et sunt turgida tantum,  
 18          sunt aliquid verbo, re tamen illa nihil.  
 19   Et tamen est adeo vanus tumidusque, poema  
 20          ridiculum propter, bellua magna, suum,  
 21   ut vos hinc veteres omnino haud nosse poetas  
 22          arguat, indoctos insipidosque vocet,  
 23   sive quod interpres vestrum seu cognitor ullus  
 24          carminis insani non queat esse sui.  
 25   Naviget Anticyram quare compellite, vates,  
 26          Lucilium, cerebrum purget ut helleboro.

#### IN EUNDEM LUCILIUM

E\_13   v.1   Si cynicus nummi Crates contemptor et auri,  
           2           si Cratylus vehemens Pythagorasque pius,  
           3           si Zeno, divusque Plato, Cratorque Solensis,  
           4           ridiculusque senex, Milesiusque Thales,  
           5           si maris et terrae spatium tractusque metitus  
           6           primus Anaxilas sidereosque polos,  
           7           si quoque praecisam linguam qui dente tyramni  
           8           expuit in faciem Nicocreontis atram,  
           9           si nimio risu doctus gracilisque Chrysippus,  
 10          qui tulit insolitam splene calente necem,  
 11   et si Parmenides, Solon, clarusque Pericles,  
 12          si velit Averois, si sapiensque Bias,  
 13   et si philosophi quicumque est nomine dignus,  
 14          et medica quisquis auxiliatur ope ;  
 15   hisque sit herbarum quicquid fert Pontica tellus,  
 16          Anticyrae totus hisque sit helleborus,  
 17   Lucilii haud poterunt quicquam purgare cerebrum  
 18          stultitiamque illi vel minuisse parum.

#### IOHANNI NESIO

E\_14   v.1   Non minor eximiae cum sit tibi gloria formae,  
           2           purpureo Nesi semper ab ore nitens,  
           3           quam fuerit puero, qui dulcia pocula caelo  
           4           nectaris ardenti miscuit ante Jovi ;

5 moribus et veterum cum sis quoque sanguine clarus,  
 6 artibus et totus deditus ingenuis,  
 7 illustrisque viri praesagia multa futuri,  
 8 macte puer, prae te certaue signa feras :  
 9 te, precor, ut longum servant pia fata per aevum  
 10 innumerosque sinant vivere posse dies,  
 11 ut praeclara suas virtus protendere vires  
 12 possit et aethereum scandere summa polum.

AD NICOLAUM MICHELOCTIUM

E\_15 v.1 Nescio piscari. Nullos vivaria pisces  
 2 nostra ferunt. Vacua est ipsa crumena mihi,  
 3 hospitibusque aedes plenae. Cras sumere carnes  
 4 nos Baptista vetat. Disce, quid ergo velim !

EPIGRAMMATA IN ALBIERAM ALBITIAM PUELLAM FORMOSISSIMAM  
 IMMATURA MORTE PEREMPTAM

E\_16 v.1 Ex me nil tutum morti, saevumque morari  
 2 illius imperium discite posse nihil.  
 3 En mihi, quae poteram forma certare deabus  
 4 finieram et vitae vix tria lustra meae,  
 5 ingenuo desponsa viro, sata sanguine gentis  
 6 Albitiae, audaces intulit illa manus.

IN EIUS MARMOREAM EFFIGIEM

E\_17 v.1 Albiera, insigni forma spectanda, viator,  
 2 ut paulum sistas aspiciasque rogat,  
 3 duxerit e Pario tales si marmore vultus  
 4 docta Polycleti Praxitelisve manus.  
 5 Ne tamen in terris formosior ulla deabus  
 6 esset, mors jussu me rapuit superum.

IN EANDEM

E\_18 v.1 Si neque nobilitas, nec maxima forma, nec aetas  
 2 continuere manus, livida Parca, tuas,  
 3 debuerant saltem lacrimae tetigisse mariti,  
 4 quem propter solum, mors mihi dura fuit.

IN EANDEM

E\_19 v.1 Albiera hic, pulchras inter pulcherrima nymphas,  
 2 est sita, Gismundi cura dolenda viri.

IN EANDEM

E\_20 v.1 Albiera, Albitia jacet hic sata gente vetusta,

2           olim Gismundi sponsa, dolorque modo.  
3       Illa pudicitia formaque puella deabus  
4           par erat : en, mori numina posse nega !

IN EANDEM

E\_21     v.1     Hac Venus et Pallas Dictynnaque clauditur urna,  
          2           mors quibus Albierae mors fuit una tribus.

IN EANDEM LOQUENTEM AD GISMUNDUM STUFAM EIUS SPONSUM

E\_22     v.1     Quid fles ? Quid lacrimas, conjunx, ita fundis inanes ?  
          2           En, tibi vivo uxor, vivis et ipse mihi.  
          3       Nam, resoluta licet jaceant mi membra rogales  
          4           in cineres, anima sum tibi viva tamen.

CONSOLATIO EIUSDEM ALBIERAE AD SPONSUM

E\_23     v.1     Nil me sollicitat caros liquisse parentes,  
          2           aetas, forma, genus, cetera nilque movent,  
          3       sed tua me tantum pietas, dulcissime conjunx,  
          4           sollicitat, luctus excruciantque graves.  
          5       Albieram, Gismunde, igitur ne semper acerbis  
          6           sollicites lacrimis, desine flere diu ;  
          7       desine me, conjunx, functam plus credere vita,  
          8           est mihi nunc quoniam nescia vita mori.

IN PHILIPPUM SACRAMORUM RENUENTEM MUNERA

E\_24     v.1     Hic lepus est latitans, procul hinc venator abito :  
          2           namque potest nullis retibus ille capi.

IN PODAGROSUM MALEDICUM

E\_25     v.1     Nodosas Mutius chiragras tristesque podagras  
          2           Balbus habet, quales solvere nemo queat :  
          3       conveniens illi magis est glossagra trinodis,  
          4           ne posset tantum lingua nocere mala.

IN MUTUM PEDENTEM

E\_26     v.1     Quod ventris crepitus tam multos Carolus edat  
          2           mutus, habet causam, quae tueatur eum.  
          3       Os illi cum sit mutum, fungatur ut oris  
          4           officio culus nititur. Ergo sapit.

## IN CONQUERENTEM SE DORMIRE NON POSSE

E\_27 v.1 Saepe tuos quereris quod non sopor occupet artus,  
 2 et petis id fieri qua ratione potest.  
 3 Da veniam, quaeso : sit non audire molestum,  
 4 dum tibi simpliciter, Ceciliane, loquor.  
 5 Omne carens animal cerebro dormire negatur :  
 6 haec una insomnem te puto causa facit.

## PETRO SODERINO

E\_28 v.1 Si laus obscuro posita est in carmine clara,  
 2 sique honor in blaesio versibus ullus inest,  
 3 gloria Mobilii summa est, qui carmina condit  
 4 sic obscura, ut non solvere Apollo queat.

## AD FRANCISCUM CAPELLAM

E\_29 v.1 Dodrantem Sexto debebat Sextus amico,  
 2 ad certamque diem solvere pactus erat.  
 3 Quae cum lapsa foret, reddi sibi debita Sextus  
 4 aera petit, Varus solvere posse negat.  
 5 Ille morae impatiens, nudato protinus ense,  
 6 dimidium Varo sustulit auriculae.  
 7 Hoc, ait ille, modo si creditor exiget omnis,  
 8 nemo quidem posthac debitor esse volet.

## PETRO CENNINO

E\_30 v.1 Quaeris ut uxoris, dulcis Cennine sodalis,  
 2 ipse jugum nostrae servitiumque feram.  
 3 Non mihi libertas minor est, quam in caelibes vita  
 4 extiterit, gravius nec mihi fertur onus.  
 5 Sed verum dicam : me libertate carere  
 6 hoc fecit tantum supposuitque iugo,  
 7 sponte mea Veneris quod tunc ego bella gerebam,  
 8 et nunc arbitrio conjugis arma paro.

## AD CALVUM PACINUM

E\_31 v.1 Diligis interdum, fastidis saepe sodalem,  
 2 nunc tibi sum carus, nunc tibi vilis ego.  
 3 Aut odisse velis penitus nos, Calve, rogamus,  
 4 in me perpetuus vel tuus adsit amor.  
 5 Interruptus amor nescit, Pacine, juvare :  
 6 qui non semper amat, is male semper amat.

## IN TONSOREM QUI FRIGORE PERIIT

E\_32 v.1 Villosas hominum doctus praecidere barbas  
 2 tonsor eram, facili dexteritate juvans,  
 3 et manibus splendens et acuta novacula nostris  
 4 pressa virum nitidas reddidit una genas.  
 5 Ut reliquos igitur tonstrinae vicimus omnes  
 6 artifices, unde nomina parta mihi,  
 7 sic mortis specie cunctis mortalibus unus  
 8 praesum, nec similis exitus ullus erit.  
 9 Nam, dum Romanum securius aethera temno,  
 10 frigoribus nullis corpora macra tego,  
 11 corripit, en, velox, tenues dilapsa per artus,  
 12 bruma caput miserum : cetera membra rigent.  
 13 Postubi paulatim tetigit praecordia frigus,  
 14 hoc gelidum corpus vita reliquit humi.

## IN POTATOREM

E\_33 v.1 Nunc mihi, nunc tandem patuit cur insula ponti  
 2 te, Chios, Aegaei sit remorata diu.  
 3 Nam si, vappa tibi mentem sic raptat, inanis,  
 4 comprimat ut linguam, tentet ut illa pedes,  
 5 hinc merito fateor potuisse Arvisia captum  
 6 implicitumque suo te retinere cado,  
 7 Lesbique hinc siccum spargentia vina palatum,  
 8 quae stillam aetherei nectaris instar habent,  
 9 tantum melliflui cepisse liquoris amore,  
 10 quod poteras patriae nil meminisse tuae.

## IN ADULTERAM

E\_34 v.1 Credideras potuisse virum, Constantia, tuto  
 2 fallere, quod surdis auribus ille foret.  
 3 Tutius id poteras caeco fecisse marito,  
 4 clamve magis sacri laedere jura tori :  
 5 te non audivit quoniam violasse pudorem,  
 6 sed vidit moechum teque coire simul.

## IN AVARUM

E\_35 v.1 Et clara et maculis obnoxia lumina nullis  
 2 Varus habet, queat ut cernere cuncta procul.  
 3 Cur tamen obtusam prae se ferat ille brevemque  
 4 saepe aciem solers, Posthume, nosse petis.  
 5 Quis Vari sordes infamis nescit avaras,  
 6 quam misere partis abstineatque opibus ?  
 7 Os aperit quantum rigido mensura palato  
 8 imposuit, trutina pascitur et numero,



9 mense bibit sitiens comeditque famelicus uno  
 10 sola tribus quantum ponere cena solet,  
 11 quin miserum prohibet culum ne pondera ventris  
 12 emittat gravidi, quominus exuriat.  
 13 Sic metuens oculos consumere posse videndo,  
 14 praestringit visum vultque videre parum.

SEBASTIANO CAROLI FILIO

E\_36 v.1 Cum tibi par meritum, par sit quoque gloria formae  
 2 pincerna aetherei cum Ganymede Jovis,  
 3 nec te pulcher Hylas vincat roseusque Hyacinthus,  
 4 alter Apollo tuus, Herculis alter amor ;  
 5 nec minus ingenio praestes morumque nitore,  
 6 atque vaces totus artibus ingenuis :  
 7 felix quae tali gaudebit sponsa marito,  
 8 sentiet amplexus, facta beata, tuos.

IN LUCILIUM PEDICONEM

E\_37 v.1 Lucilii cineres hac sunt tellure sepulti,  
 2 corporis absumpsit cetera flamma vorax.  
 3 Infelix vivus, praetore jubente, crematur :  
 4 qui legis haec pueros, si sapis, ergo fuge.

AD PHILIPPUM REDDITUM

E\_38 v.1 Si quot luscus amat Nevius, Reddite, puellas,  
 2 mense tot infelix concubuisse queat ;  
 3 id subeat fatum, Gallus quod praetor in urbe  
 4 quondam Romulea Cornelius subiit.  
 5 Qui futuens moritur, suprema haec voce locutus :  
 6 "Quam juvat et pulchrum est sic potuisse mori !"

IN HOMINEM LEVISSIMUM

E\_39 v.1 Tu promissa negas : vis, non vis, nec tibi constas.  
 2 Si tu non levis es, non levis ullus erit.

IN MALEDICUM

E\_40 v.1 Invide, ni nostros cessabis carpere versus,  
 2 veh tibi : nam de te carmina facta leges.

IN PEDICONEM ARDENTEM PUERUM, CUI NOMEN ERAT DEUS

E\_41 v.1 Quam bonus egregia sit religione Johannes,

2           hoc docet : insano flagrat amore Dei.

ANTONIO MELIOROCTO

E\_42    v.1    Miraris, promissa tibi quod epistola non sit  
          2           reddita. Nil mirum : nam data nulla fuit.

ALLUSIO IN NOMEN MOBILII

E\_43    v.1    Mobilierio impositum consulto ab Apolline nomen  
          2           quis neget ? En, cerebrum mobile semper habet.

IN PEDICONEM

E\_44    v.1    Crispum quod sacri pueri sit captus amore,  
          2           arguis injuria : relligiosus homo est.

IN ALBIUM

B45    v.1    Cum tibi displiceant fur, ganeo, moechus, adulter,  
          2           ut quoque displiceas est opus, Albe, tibi.

IN BONUM

B46    v.1    Te, Bone, quisque vocat, semper facit ille figuram  
          2           antiphrasis, quando sis malus ipse nimis.

IN POETAM MALEDICUM

B47    v.1    Non amat indoctos Rufus vilesque poetas :  
          2           non igitur sese Rufus amare potest.

NALDO NALDIO

B48    v.1    Ad leporem Thomas invitat. Oluscula ponit.  
          2           Hoc rogo : "Num lepus et, Nalde, vocatur olus ?"

CISTERNA

B49 v.1 Quam mihi sub terris lympham, Neptune, negasti,  
2 aethereo praestat Juppiter imbri mihi.

POPLEMA

B50 v.1 Sexaginta novem, centum sex, octo trecenta,  
2 noningenta decem milia quinque tenent.

IN CANDIDUM

B51 v.1 Omnia promittis semper, promissaque numquam  
2 servas : sic igitur, Candide, cuncta negas.

IN PEDICONEM

B52 v.1 Si non pedicas, cur gaudes, Paule, cinaedo ?  
2 Aut igitur fellas aut tibi prurit anus.

IN GARGILIANUM

E\_53 v.1 Aut scis et pateris, tacitusque id pectore gaudes,  
2 uxorem futui, Gargiliane, tuam,  
3 aut es mentis inops, si, quod vicinia cernit  
4 et populus, tu non, Gargiliane, vides.

IN ALBIUM AMANTEM NUMEROSAS PUELLAS

E\_54 v.1 Ardet tot miser Albius puellas,  
2 insunt quot Latio dies in anno.  
3 Sed, cum sit numerus satis molestus,  
4 illarum, memori domos tabella  
5 et nomen simul et vias notavit,  
6 unicuique diem suum dicavit,  
7 et semper queritur quod ulla numquam  
8 fessas audierit preces amantis.  
9 Quam stulte queritur, semel per annum  
10 si quem sunt solitae videre tantum,  
11 tam rarum fugiant procum puellae !

IN PICTURAM

E\_55 v.1 Vix sibi tam similis Petrus est Puglesius ipsi,  
2 quam similis vero est picta tabella Petro,  
3 expressit mira quem nobilis arte Philippus,  
4 sic ut jure queas dicere Apellis opus.

5 Atque simul sese tabula sic pinxit eadem,  
 6 protinus a picto distet ut ille nihil,  
 7 ut pictos siquis cum veris conferat, horum  
 8 pictus uter fuerit non bene nosse queat.

## IN EUNDEM

E\_56 v.1 Tam veris similes sibi Philippus  
 2 et Petro simul aurea tabella  
 3 expressit facies manu perita,  
 4 quam vultus resident utrique veri,  
 5 ut pictis nisi vox et aura desit,  
 6 nec vivi careant nisi tabella.  
 7 Hoc si fiet, erunt pares utrique.

## IN SEDENTEM SUPER EPISTOLIS CICERONIS

E\_57 v.1 Excepit miserum quae me sors improba, linguae  
 2 qui dicor Latiae, maximus esse parens !  
 3 Heu, modo sum factus duri subsellia culi,  
 4 qui me saepe sua garrulitate necat.  
 5 Exstat siqua mei vobis reverentia doctis,  
 6 vos precor, heu, supplex : hoc prohibete nefas.

## IN SUBDOLUM ET INCOSTANTEM

E\_58 v.1 Promittis, subitoque negas audacter. Eodem  
 2 tempore vis, non vis, et tibi nulla fides.  
 3 Ipse dolis fallax variis circumvenis omnes,  
 4 retia quin, auceps, subdola cuique paras.  
 5 Perfidia vincis Penos, levitateque Gallos,  
 6 quaecumque invertis dissimulasque malus.  
 7 In tot se polypus nescit mutare colores,  
 8 Protea nec formas tot variasse ferunt,  
 9 ipse modis in quot mentem vultumque animumque  
 10 et linguam et mores vertis et ingenium.  
 11 Sed vis expediam te verbo protinus uno :  
 12 te levius toto vivit in orbe nihil.

## IN POETAM MALEDICUM

E\_59 v.1 Dum similem ranis Naldum confingere doctum  
 2 tendis, et hinc vatis nomen habere putas,  
 3 ranarum propria, raucus, sic voce coxas  
 4 persimilemque illis exprimis ore sonum,  
 5 ut, tua te quisquis recitantem carmina vatem  
 6 audierit, ranam verius esse putet.  
 7 Sic multo simulat madidumque gravemque Lyaeo

8 ebrius, et stultum sic male sanus agit !

IN EUNDEM

E\_60 v.1 Quam de ranis duras fingis, inepte, querelas,  
 2 in Naldum spargit quas tua Musa bonum,  
 3 efficis ut vates, bene tam ceu garrula jactas  
 4 rana tuum carmen blaesaque verba nimis.  
 5 Nam garrire potest melius nec rana palude,  
 6 nec melius silvis ulla cicada fremit.

AD PETRUM CENNIUM

E\_61 v.1 Cenarum cupidus nimium, Cennine, videri  
 2 debueram merito ridiculusque tibi,  
 3 hesterna tecum si nocte, diserte sodalis,  
 4 ut sum pollicitus, discutuisse velim.  
 5 Nox atra atque imbres, tractus quoque longus, et urbis  
 6 instar torrentis rivulus omnis erat ;  
 7 qui monstraret iter, veheret quae cymba, fugaret  
 8 quae tenebras oculis nulla lucerna fuit.  
 9 Ne caecus claudusque igitur, Cennine, venirem,  
 10 posthabui mensas hac ratione tuas.

PETRO SODERINO

E\_62 v.1 Ut spatium mutui sermonis longius adsit,  
 2 liber et a curis longius esse queam,  
 3 sollicita in tutam mutavi prandia cenam :  
 4 est tibi cras igitur cena parata, veni !  
 5 Haec mora capreolum convertet forsitan obesum  
 6 in leporem, fiet sive molossus aper.

EIDEM

E\_63 v.1 Ante aliquid fueram quam nos arcana juberent  
 2 publica nosse patres, sum modo, Petre, nihil ;  
 3 antea causidici nam certum munus obibam,  
 4 nunc dubius locus est instabilisque mihi,  
 5 nullius atque rei commissa negotia certae  
 6 procuro, incertum est sed mihi servitium.  
 7 Sancta magistratus nunc jussa capessere summi  
 8 est opus - hinc nimium pendeo sollicitus,  
 9 nuncque decem retinet suspensum cura viratus :  
 10 sic animus titubans inter utrumque jacet.

## IN NICOMEDEM

E\_64 v.1 Dum Nicomedes erat tenera lanugine, fertur  
 2 qui peteret molles non habuisse nates.  
 3 Nunc vir factus habet plures hirsutus amantes,  
 4 hunc pediconum plurima turba rogat.  
 5 Vis referam causam ? Nota est mensura priapi  
 6 omnibus, et cornu durius inguen habet :  
 7 sic quem tu pathicum credebas esse cinaedum,  
 8 pedicat rigidos, assis amore, senes.

## ANTONIO VALLAE

E\_65 v.1 Si te, Valla, dolis totiens cepere sodales  
 2 versuti, captum si tenuere suis,  
 3 credulitas faciles illis tua praebuit ansas :  
 4 decipitur quisquis credulus est nimium.

## ANTONIO SINIBALDO

E\_66 v.1 Historicis et dat, medicis, dat Lisa poetis,  
 2 jureque consultis grammaticisque simul :  
 3 Lisa viris tantum dare vult lasciva peritis,  
 4 unaque cum toto gymnasio futuit.  
 5 Hoc facit illa quidem, vulvam quod habere disertam  
 6 sic putat, et famae consuluisse magis,  
 7 altera ne coeat tota facundius urbe,  
 8 neve sit alterius doctior ulla Venus.

## IN BASSAM

E\_67 v.1 Abs te non miror Venerem quod Matho requirat,  
 2 sed miror monstro quod dare, Bassa, queas.

## MELIORI PONTICO

E\_68 v.1 Carmina non recito, Melior, tibi, Pontice, nostra,  
 2 ne tua tu recites, Pontice, forte mihi.

## IN MARIANUM DEFORMEM

E\_69 v.1 Ornatus cum sis a vertice totus ad imos  
 2 usque pedes, pulchrum te, Mariane, putas.  
 3 Saepius ornantur rebus quoque turpia multis,  
 4 nec faciunt turpem cosmica quemque minus ;

## IN AMBITIOSUM

E\_70 v.1 Hic saeptum dextra quem respicis atque sinistra,  
 2 cui multo est semper turba cliente comes,  
 3 qui cervice tumens alta vanusque superba  
 4 ambulat et mira garrulitate valet,  
 5 qui sibi cuncta putat cunctos debere merenti,  
 6 arrogat ingenio maxima quaeque suo,  
 7 scire negat quemquam nisi se : cui semper inanis  
 8 gloria captatur, ambitiosus homo est.

## AD PAULUM

E\_71 v.1 Qui bene, Paule, negat, crimen fugit ille negantis :  
 2 at male qui praestat, hic male, Paule, negat.

## POBLEMA

E\_72 v.1 U geminum versis inter se necte figuris,  
 2 insit ut in medio littera nona suo.  
 3 Postmodo transverse ducatur linea duplex,  
 4 o laevum claudat, dexterum omega latus.  
 5 Feceris hoc postquam, videas majora Priapum  
 6 moliri, atque simul hermaphroditus erit.

## IN FUREM

E\_73 v.1 Qui modo pauper erat, nunc est ditissimus Oddo :  
 2 quis cito non multas fur cumularet opes ?